

delectationis est semper malum. Licet tamen delectari de bono effectu, qui inde provenit, dummodo ordo charitatis non violetur (11). Hinc damnata est sequens propositio sub n. 15, ab Innoc. IX: *Licilum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

5<sup>o</sup> Cautè Confessarius agere cum iis debet, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim huiusmodi delectationes non ex emolumento solo,

(11) Salmanticenses (Tract. 20. Cap. 13. n. 47.), quos sequutus est S. Alphonsus (Lib. 5. n. 20.), dissensionem hic inter doctores confingunt, et Vasquesium, Lessium, Palaum, etc. incusant, quasi licere doceant, ob effectum bonum *de peccato formaliter tali* delectari, ac proinde licite *affectum ob bonum finem in rem intrinsece malam terminari*. Sed perperam haec confinguntur, cum nulla in iis dissensio nisi forte verbo tenus, habeatur. Lessius, cui et alii consonant, audiatur *De Iust. et Iur.* Lib. 4. Cap. 3. n. 105.): *Cum quis dicitur gaudere de opere malo, quatenus illud est causa boni, dupliciter potest intelligi. Primo quod ob bonum effectum gaudeat, illud opus esse vel fuisse, vel a se factum esse; et hoc omnino est illicitum, si illud opus erat intrinsece peccatum: quia hoc est approbare peccatum, et illius habere complacentiam propter bonum finem.... Sicut enim effectus ille vel respectus ad illum effectum non potest efficere, ut illud opus, quod est intrinsece peccatum, sit licitum aut bonum, ita neque ut sit dignum gaudio et complacentia.... Secundo potest intelligi, quod gaudeat, illud opus primum talem effectum bonum habuisse, vel habere; et sic licet gaudere de opere malo. Non enim gaudemus illud opus malum esse; sed supposito quod factum sit, gaudemus quod boni effectus causam dederit. Vere enim gaudio dignum est, quod divina bonitate etiam ex pessimis operibus maxima bona*

*proveniant. Sed hoc est potius gaudere de effectu, quam de opere, etsi etiam gaudeamus de causatione boni, quae operi competit.*

Liquet, dissensionem inter DD. nullam esse, nisi verbo tenus. Constat ex allatis Lessii verbis et etiam ex eo, quod nemo Doctorum, quos contra opponunt Salmanticenses et S. Alphonsus, quidpiam habeat contra thesim sic propositam.

Neque a communi sententia discedit Vasquez. *Vasquez et Sayrus* (inquit Sanchez Lib. 1. Cap. 2. n. 9.) *dicunt, quamvis in universum voluntas efficax (quam desiderium vocant) cuiuscumque rei mortalis sit mortalis, at non omnem delectationem de quovis opere, iure etiam naturali sub mortali prohibito, esse mortalem, dummodo non sit de opere qua ratione peccatum est, aut contra praeceptum.* Indicat deinde singularem eorum doctrinam, quam a Vasquezio latissime et eruditissime probari dicit, et concludit: *Atque ita quamvis fateatur (Vasquez) delectationem morosam rei mortalis esse mortalem, recedit tamen a fundamentis, quibus communissima sententia id probat.* Quae probant, Vasquezium quoad substantiam a communi doctrina non recessisse. Id ipsum testatur et Lugo (*De Poenit.* Disp. 16. n. 363.) inquit: *Hanc (Vasquezii) sententiam amplectuntur alii non pauci, Reginaldus, Sayrus, et alii, quos refert et sequitur Diana..., et probabilem dicunt Azor, Salas, Fillicius, Bonacina, et Lessius apud*

sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur (12). Idem timendum est de eo qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex eius infortunio, v. gr. ex gravi infirmitate, iactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, praesertim si inimicitiam cum eo antea gerebat. Confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem poenitentis prudenter introspicere non negligat. — S. Lig. n. 20. — V. Casus, n. 150. et seq.

## CAPUT II.

## DE PECCATIS CAPITALIBUS

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita, seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius, quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum 1<sup>o</sup> Superbia; — 2<sup>o</sup> Avaritia; — 3<sup>o</sup> Luxuria; — 4<sup>o</sup> Invidia; — 5<sup>o</sup> Ira; — 6<sup>o</sup> Acedia; — 7<sup>o</sup> Gula; — Pauca de singulis (1).

## I. De Superbia.

174. — *Superbia* est amor inordinatus propriae excellentiae.

Distinguitur *superbia perfecta*, seu in suo genere completa et consummata, et *superbia imperfecta*. — Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis Superioris obtemperandi.

*eundem Diana, et eandem sequitur Castrus Palao.* Et subdit quidem (n. 364.): *Haec sententia difficilis est fortasse magis in modo explicandi, quam in re ipsa: quod ipse prosequitur usque ad n. 370.*

(12) Confessarii vigilantia opportuna est propter duo, nimirum 1<sup>o</sup> ne boni effectus desiderium vel gaudium (nam quae de gaudio hic dicuntur, ex communi DD. sententia fere de desiderio valent, aut etiam de delectatione) transeat in gaudium aut desiderium aut approbationem *peccati in se spectati*, e quo causatur ille effectus; praesertim si quis e peccato suo lucrum magni momenti retulerit; in quo casu gaudium et delectatio de acquisita ingenti fe-

licitate aegre sane abstrahetur a delectatione in mala causa. 2<sup>o</sup> Ne unquam (nempe etiamsi quaevis culpa cuiusvis absit, aut saltem absit delectatio de culpa) ordo violetur charitatis, quae sane postulat, ut bonum, quod intendimus, rationabiliter sit praefendum bono, quo alium privari aut optamus, aut gaudemus. Hinc damnatio propositionis, n. praec. memoratae; neque enim ordo charitatis permittit, ut spem hereditatis filius morti patris praeferat. Sed de his melius, ubi de charitate.

(1) Accurata huius materiae notio a theologis potius et praesertim a S. Thoma petenda et, quam a libellis asceticis, qui non raro eiusmodi res minus exacte pertractant.

Haec autem eo ipso peccatum mortale semper in se includit. — In caeteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum inducere solet, nisi accedat iniuria gravis proximi, v. gr. si graviter contemnatur etc. — S. Lig. n. 66.

*Filiae* superbiae sunt ambitio, vana gloria, praesumptio, iactantia, ostentatio, et hypocrisis.

*Remedia* sunt consideratio propriae infirmitatis, vanitatis gloriae humanae, et humilitatis Christi.

### II. De Avaritia.

175. — *Avaritia* est inordinatus appetitus honorum temporalium. Opponitur iustitiae vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodebit, nempe quoties ad iniustitiam gravem erga proximum impellet. — Si posterius, *per se* venialia tantum pariet. Caeterum nimius erga res terrenas affectus in alia peccata etiam gravia propellere potest, imo et solet.

*Filiae* avaritiae sunt: durities cordis erga miseros, inquietudo animi, seu sollicitudo inordinata de terrenis, perfidia, dolus, etc.

*Remedia* consideratio vanitatis terrenarum rerum, turpitudinis, infelicitatis et periculorum huius vitii. — S. Lig. n. 69.

### III. De Luxuria.

176. — *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereae. Luxuria gravis est ex toto genere suo; sed hoc intelligendum est, si delectatio venerea sit in se *deliberata et directe quaesita*; si vero *indirecte* (2) potest ex aliqua circumstantia evadere levis, ut in nonnullis tactibus, lectionibus et similibus minus periculosus.

*Filiae*: caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, fidei languor, imo et amissio, etc.

*Remedia*: oratio frequens et humilis, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, Sacramentorum frequentatio. — Vid. S. Lig. n. 71.

(2) Venerea delectatio sive directe quaeratur sive indirecte, quando intenta sit, aut voluntarie admissa, gravis culpa reatum semper infert. Sed alia de re loquitur hic Auctor: agit nimirum de actibus, quibus causari motus carnales possunt, et connexa cum his venerea delectatio. Porro quando eiusmodi effectus non intenduntur, et oborta forte delectatio non admittatur, et insuper absit proximum consentiendi in eam pe-

riculum, generale principium est, quod ex communi DD. sententia etiam S. Alphonsus propugnat (Lib. 3. n. 484.), huius effectibus, utpote voluntariis solum in causa, tantum reatus inesse, quantum inest ipsi causae. Proinde leviter tantum culpabiles isti effectus censentur, si causa, v. gr. curiosa lectio aut aspectus, venialiter mala sit; atque omnis etiam culpa aberit, si actus illos ponendi iusta adsit causa.

### IV. De Invidia.

177. — *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus aestimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum. Ad eam revocatur gaudium de alterius malo, quod boni proprii augmentum censeatur. Est autem directe contra charitatem, et ex genere suo gravis.

*Filiae*: detractio, calumnia, susurratio, contumelia, etc.

*Remedia*: consideratio malorum ex invidia provenientium, officia charitatis erga proximum, oratio frequens, humilitatis exercitium. — Vid. S. Lig. n. 72.

### V. De Ira.

178. — *Ira* est exandescencia animi, motusque inordinatus in aliquem vel aliquid; vel est inordinatus appetitus vindictae. Iracundia est habitus irae. Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictae; venialis autem, si sit tantum motus animi inordinatus (3).

*Filiae*: indignatio, rancor, clamor, convicia, blasphemiae, etc.

*Remedia* consideratio malorum irae, et mansuetudinis Christi. — Vid. S. Lig. n. 80. et seq.

### VI. De Acedia.

179. — *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia; strictius vero est torpor mentis, ac debilitas voluntatis, ex quibus spiritualium rerum fastidium ob laborem et molestiam ipsis adiunctam profluit. Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, gravis habenda est; si secus, levis est aestimanda. — *Ita communiter.*

*Filiae*: torpor, evagatio mentis, nausea in oratione, etc.

*Remedia*: consideratio laborum Christi, mercedis aeternae, et periculorum acediae; pia lectio, frequens confessio, etc.

(3) Legendus omnino de hac re S. Thomas (2. 2. q. 158. per tot.), qui accurate irae vitium distinguit a passione irae, quae, si ratione regatur ac temperetur, non laudabilis modo sed et praecepta esse potest. Nec negligenda, quae idem S. Doctor (l. c. q. 157.) scribit *de mansuetudine*, quae egregie componi potest cum virtute illius *severitatis*, cuius proprium est, ut inflexibilis sit circa inflictionem poenarum, quando recta id ratio postulat. Et quidem

accurata horum omnium cognitio Confessario apprime necessaria est, ut vitii virtutisque difficiles in hac materia limites edocere poenitentes norit; et, ut semel dicam, Pars illa Summae Angelici Doctoris, quae *Secunda Secundae* appellatur, ubi virtutum omnium, oppositorumque vitiorum rationes, omnesque, prope dixerim, fibrae exquiruntur, is liber est, qui e Confessarii manibus nunquam excidere deberet.

## VII. De Gula.

180. — *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus.

Quinque praecipue modis vitium committitur: 1<sup>o</sup> Si edas ante tempus; 2<sup>o</sup> si nimis exquisita; 3<sup>o</sup> si plus aequo; 4<sup>o</sup> si voraciter; 5<sup>o</sup> si maiori industria praeparata. Haec in sequenti versu continentur.

Praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose.

Est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati, aut si quem ad officia ineptum reddat. Peccat qui manducat aut bibit usque ad satietatem ob solam voluptatem (4), ut constat ex prop. 8<sup>a</sup> ab Innoc. XI. damnata; attamen per se veniale non excedit. — *Ita communiter.*

*Filiae* gulae sunt ebrietas, de qua mox fusius, hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium, et immunditia cuiuslibet generis.

*Remedia*: considerare pessimos gulae effectus quoad corpus et animam; — mortificare carnem, praesertim in refectione corporis; — recordari frequenter de morte, seu de corruptione corporis mox futura. — Vid. S. Lig. n. 74.

## APPENDIX

## DE EBRIETATE

181. — Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 75.

Ebrietas perfecta, nempe usque ad rationis privationem pertingens, peccatum grave est *per se*. Constat 1<sup>o</sup> ex ratione; voluntarie enim se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, saltem sine gravi causa et ad voluptatem (1), graviter naturae rationali repugnat. Homo enim sic ad brutorum statum se deiicit. Deique imaginem in se deturpat. — S. Lig. n. 75. et alii communissime.

(4) Ob voluptatem *solam* comedit aut bibit, qui ultiores operationis fines *positive* excludit. Nam alioqui ex S. Thoma (*Cont. Gent.* lib. 3. c. 26. n. 6. 7.) bona est et licite appetitur delectatio, quae bonam consequitur operationem; ex generali autem principio bona est operatio, si ipsius fines intrinseci seu immediati seu mediati positive non excludantur, licet nequaquam opus sit eos inter agendum expresse intendere seu de iis cogitare.

(1) Imo S. Thomas expresse scribit: *ex sola vini voluptate*. Ita S. Doctor (1. 2. q. 88. art. 5. ad 1.): *De ebrietate vero dicendum est, quod sit peccatum mortale. Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur et multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti.*

Constat 2<sup>o</sup> ex Scriptura sacra, 1. *Cor.* 6. 10.: *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* — Et *Isaiae* 5. 11.: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam...* Porro particula *vae* in Scriptura sacra gravissimum denotat malum.

Probabilius autem est per se peccatum veniale tantum, si ebrietas sit imperfecta. — *Ita communiter.* — S. Lig. ibid. (2).

182. *Quaesita.* — *QUAER.* 1<sup>o</sup> *Quaenam sint signa ebrietatis perfectae?*

*Resp.* Perhibentur sequentia, scilicet 1<sup>o</sup> nescire distinguere bonum a malo; 2<sup>o</sup> non recordari de dictis aut factis in ebrietate; 3<sup>o</sup> agere omnino insolita, quae scilicet nunquam alias sana mente agi solent..., etc. — Non autem sunt signa certa, haesitatio linguae, titubatio pedum, visus obiectorum duplicium, aut in gyrum se vertentium. — S. Lig. n. 78.

*QUAER.* 2<sup>o</sup> *An liceat se inebriare ad morbum depellendum?*

*Resp. Affirm. probabilius,* si ebrietas non sequatur nisi velut effectus medii per se liciti, v. gr., si copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum arcendum. Constat ex dictis *de Act. hum.* n. 9. — S. Lig. n. 76. et alii communiter (3).

*QUAER.* 3<sup>o</sup> *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam?*

*Resp. Controvertitur.* Negat S. Lig. cum aliis, quia ebrietas directe intenderetur, et bonus effectus ex malo sequeretur. Affirmat vero Busemb. cum aliis, quia privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi causa non videtur quid intrinsece malum. Concinit S. Th. 2. 2. qu. 150. art. 2. (4).

(2) Ita S. Alphonsus: *Certum est apud omnes, quod ad hoc ut ebrietas sit peccatum mortale, requiritur ut sit perfecta, nempe quae omnino privet usu rationis.*

(3) S. Thomas (2. 2. q. 150. art. 2. ad 3.): *Cum aliquis multum... bibit secundum consilium medicinae, non est reputandus superfluo potus.*

(4) S. Thomas ebrietatis vitium in potu superfluo sine necessitate, et ex sola vini voluptate reponit. Vid. text. sup. relat. ex 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1.

Obiici possunt haec S. Alphonsi (lib. 5. n. 76.): *Prima sententia satis probabilis, imo probabilior mihi videtur casu quo potatio vini praebeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores; tunc enim privatio rationis*

*per accidens et indirecte evenit, et ideo licite permitti potest... Secus dicendum, si potatio daretur directe ad ebrietatem, sive ad privationem rationis causandam; hoc enim esset semper intrinsece malum. Hinc, ut bene advertit Croix (lib. 5. n. 331.) ... nunquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos.*

*Resp.* 1. Croix disserit *de damnato ad mortem, et rite disposito, et graviter peccari dicit 1<sup>o</sup> quia hic non est finis potus, 2<sup>o</sup> neque est ratio sufficiens tollendi rationem tunc maxime necessariam.* Omittatur prima ratio vere futiis; nam nec finis v. g. pedum est occidere muscas; nec tamen graviter peccat, qui muscam calcando perimat. Altera vero ratio de necessitate tunc urgente militat

Et reapse sicut adhibetur in tali casu opium et aether, ita etiam vinum adhiberi posset. Caeterum vix quaestio eiusmodi ad praxim nunc facit, cum alia media faciliora in eum finem suppetant.

183. — QUAER. 4<sup>o</sup> *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo maiori avertatur?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.*, si ebrietas sit ipsi materialis tantum; quia malum materiale permitti potest gravi de causa. — *Ita communiter* contra Collet, Concina, etc.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Negant communius*, si ebrietas sit formalis; quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* — Attamen S. Lig. n. 77. oppositam sententiam ut probabilem admittit cum pluribus aliis (5). Eiusmodi sententia hoc sensu admitti potest, quatenus ebrietas formalis tantum permittitur, v. gr., vini subministrazione..., etc.

QUAER. 5<sup>o</sup> *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.* si praevisa non fuerint, ne in confuso quidem, quia quaecumque praevisa non fuerint, prorsus involuntaria sunt habenda.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Affirm.* ob rationem oppositam, si praevisa fuerint, saltem quoad mala operis, sive commissionis, sive omissionis.

Dixi, *saltem quoad mala operis*; nam quoad mala oris seu verba aut etiam facta mere contumeliosa, *probabiliter* non sunt imputabilia, si contra homines proferantur; quippe nullam contumeliam ex communi aestimatione inferre censentur. Secus tamen si in Deum proferantur, ut blasphemiae, etc..., quia haec intrinsece mala sunt, et proinde in contumeliam honoris divini vergunt; alioquin autem, utpote praevisa, in ipsa causa voluntaria sunt. — S. Lig. n. 78., qui tamen contrariam sententiam improbabilem dicere non audet (6).

pro casu illo speciali, non vero pro aliis. Ergo minus ad rem videtur ista allegatio.

*Resp.* 2. Ad rationem S. Alphonsi erit qui reponat, etiam in casu nostro non directe potationem dari ad privationem rationis causandam, sed ad sensuum soporem; atque adeo ebrietatem indirecte sequi et per accidens: neque enim sensuum sopor provenit ex privatione rationis, sed ex nervorum laxitate et hebetudine.

(5) S. Alphonsus (lib. 5. n. 77.): *Prima sententia satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis, ob rationem iam allatam, quia licitum est inducere alium ad minus*

*malum, ut impediatur a maiori, iuxta ea quae diximus de scandalo.* Ex S. Alphonso igitur haec sententia deduci in praxim, ea urgente necessitate, potest.

(6) Salmanticensium scilicet opinio fuit (tract. 25. cap. 2. n. 30. 31.), ebrio non imputari blasphemias, seu periuria, utcumque praevisa, quia, ut aiunt, verbis non respondet mentis conceptus: quam opinionem insuper tum Sanchezio tum Dominico Soto perperam adscribunt. Verum Salmanticenses confudisse duo videntur, quae plane sunt disparata, nempe nullum habere mentis conceptum, et dominio sui seu suarum facultatum carere. Postremum hoc de ebriis facile conceditur; at quod

184. *Resolves.* — 1<sup>o</sup> Peccant graviter, qui diu noctuque potantes, scienter ebrietatis periculo se exponunt. Item qui alios iussu consiliove inducunt ad ebrietatem; vel qui ad aequales haustus provocant cum praeviso ebrietatis periculo.

2<sup>o</sup> Peccant graviter, qui per experientiam scientes se inebriari in his vel illis consortiis, nihilominus in iisdem versantur. Item qui inter bibendum ad periculum ebrietatis advertentes, adhuc bibere pergunt.

3<sup>o</sup> Peccant etiam graviter, qui adeo bibunt, ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus et ratione destituantur, quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

4<sup>o</sup> Nec excusantur a peccato gravi, qui praetextu patrii moris, aut boni affectus, vel urbanitatis, convivas urgent et quasi necessitant ad bibendum usque ad ebrietatis periculum; secus autem, si tantum liberalior potus offeratur et saepius propinetur, in moderata tamen quantitate.

5<sup>o</sup> Non peccant graviter *per se*, qui adeo validi, vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum timeri merito possit. — V. *Casus*, n. 176. et seq.

nullum mentis conceptum habeant, dum, v. gr. vinum iam ebrii petunt, dum irascuntur vinum negantibus, dum maledicunt, imprecantur, et minantur, nescio an quispiam consensurus sit. Corruit ergo illius opinionis fundamentum.